

ipsa statuit, quem in finem varia ænigmata proposuit, cumque regem explicantem omnia audivisset, ingeniique altioris vim ac præstantiam, ipsa fama longe majorem in eo agnovisset, admiratione plena discessit. Scilicet antiquissimus erat mos instituere certamen aliquod sapientiæ, ex quo & memorata regina ad Salomonem accessit, certaque problemata & ænigmata in medium attulit. Quod scientiæ certamen in oriente junctum aliquando erat maximo cum lucro, damnore. Qua ratione certasse Amasin de multis urbibus ac pagis Plutarchus memorat, & Iosepus literis prodidit, Salomonem & Hiramum Tyri regem proponere sibi ænigmata solitos ea lege, ut qui non posset ea explicare, pondus ingens auri solveret.

§. XXX.

*Ænigma-
ra, stipata
jocis, re-
creationis
causa pro-
ferri solent.*

*Franc. Va-
vassoris
tractatus
de ludicra
dictione.*

Solent haud raro ænigmata, stipata jocis, recreationis causa proferri, in quo quidem jocandi exercitio prudentia requiritur, ut intra mediocritatem se contineat, laudemque mereatur. Ex lectio- ne ac imitatione bonorum scriptorum licebit adipisci convenientem in talibus habitum, quo antiqui etiam non fuerunt destituti, fuse lateque id declarante Francisco Vavassore in egregio tractatu, quem *de Ludicra dictione* Parisiis Anno 1658. publicavit, in quo tota jocandi ratio e veterum scriptis æstimatur. Certe quemadmodum ex ungue leo, sic ex eruditorum speciminibus singulorum ingenium cognoscitur, quod laudatus Vavassor in plurimis priscis auctoribus examinat, de eorundemque jocis atque